AUGMENTUM HONORUM,

Quod

VIRO

GENEROSO, PER-MAGNIFICO,

& Perquàm STRENVO,

DOMINO,

Dn. CONSTANTIN FREDERO,

REIPUBLICÆ GEDANENSIS
PRÆ-CONSULI SENIORI
MERITISSIMO, &c. &c.

PROTO-SCHOLARCHÆ

dignissimo

A. MDCCVII. XV. Calend. April.

solenniter creato,

in

Augmento Laborum

observantissimè

gratulari

debuit ac potuit

JOHANNES ERNESTUS SCHRÖDERUS,

R. S. C.

GEDANI,

Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII.

MAGNE VIR antiquo Proavorum ſtemmate, major
Virtutis magnâ nobilitate tuæ.
MAGNE VIR eximiis titulis, & honoribus amplis,
Ingenuâ major laude, decore, fide.
MAGNE VIR inſigni famâ, quæ ſidera pulſat,
At major meritis, nominibusque novis.
Virtutum ſtupuit cumulum mea Muſa tuarum
Semper, & exarſit laudibus usque tuis.
Has voluit dignas plectro reſonare canoro,
Verſibus ac meritum commemorare decus.
Et laurûs, cinxêre caput quæ fœnore largo,
Incendêre animos protinùs igne pio.
Ingenium noſtrum, venâ quod paupere manat,
Plaudebat paucis, VIR GENEROSE, TIBI:
Plauſiſſetque magis, mordax niſi cura dolorque
Fregiſſent ſtudium conſiliumve meum.
Nam caput immenſi conturbavêre dolores
Infelix, & ſpes parva ſalutis erat.
Langvida membra novo torpore effœta jacebant,
Majus erat doctâ proh dolor! arte malum.
Muneris intereà grandis labor inter acerbos
Tranſactus gemitûs, nec fuit ullus Atlas.
Jam vires redière novæ, quæ gratia JOVÆ eſt,
Dum tamen ingenium nunc ſua damna gemit.
O utinam calor in præcordia mœſta rediret,
Cyrrhææ hoc flueret tempore rivus aquæ!
Jure gradûs omnes ſcandiſti lætus Honorum,
Quos unquam hìc Virtus clara merere valet.
Jam rarus TIBI ſurgit Honos, conceditur uni
Qui modò, dum vitæ tempora tuta ſinunt.
Sicq; ſalutaris, ſic PROTO-SCHOLARCHA vocaris,
Quod PATRES cupiunt, dexteritate graves.
Iſto cunctarum ſpecialis cura Scholarum
Munere, quod primum eſt, traditur ecce! TIBI.

Antiſtes

Antiſtes Themidis clarebas, jura piumque
    Servando, florens integritate tuâ.
Poſteà TE Membrum PROCERUM ſacer Ordo legebat,
    Splendida tunc magnam Curia vidit opem.
Pro meritis tandem gratanti pectore tradit
    Faſces, queîs non ſors dignior ulla fuit.
Tunc proſtrata tuis iterum Reſpublica crevit
    Auſpiciis, tunc urbs gaudia magna dedit.
Expertum magnumque VIRUM TE mœſta probabant
    Tempora, quæ fatis aſpera ſemper erant.
Sæpiùs inſomnes voluiſti ducere noctes,
    Conſervaretur quò pretioſa Salus.
Sic rabidi fluctûs Palinuri turbine dextram
    Firmatam explorant, intrepidamque fidem.
Sic Ducis oſtendit virtutem ferreus hoſtis,
    Sic magnum faciunt prœlia ſæva Ducem.
Quòd ſi jam ſinerent revocare exordia rerum
    Ingenii vires, & pudor ipſe tuus:
Non parvas dotes loqueretur prima juventus,
    Quæ peperit palmas poſteà, grande Decus.
Dum ſtudiis operans alieno Sole calebas,
    Judicium ſtupuit gens peregrina tuum.
Exultans reducem Patriæ TE gleba recepit,
    Non vanam ſperans, quæ quoque ſenſit, opem.
Si licet, optamus magnum, VIR MAGNE, Maronem,
    Qui dignè laudes concinat ipſe tuas.
Nam datur haut virtus, quæ TE non jure coronet,
    Et vix laus meritis ſufficit ulla tuis.
Mirari dotes nobis conceditur amplas,
    Vix ſatis has unquam concelebrare licet.
Nunc TIBI de raro gratari Munere munus
    Noſtrum, quo fidi fungimur, usque jubet.
Sit TIBI fauſtus Honos, omnique ex parte beatus,
    Perpaucos tantùm qui beat, iſte novus.

Sit

Sit procul omne malum, timor omnis, & omne periclum,
Omnis TE ſplendor proſperet atque Salus.
Sis conſtans Urbis columen, fulcrumque Scholarum,
Præſide te noſtro gaudeat omne ſolum.
Incolumem ſervet, ſalvum velit atque valentem
TE DEUS, & placitâ proſperitate juvet.
Siſyphium fractas ſaxum vult perdere vires,
Dum moles humeros intoleranda premit.
Ac animi pariter periit vigor: inclyta dudum
Quæ valuit, medicam jam Schola poſcit opem.
Jactantem ampullas & ſesquipedalia verba
Ævi hujus genius poſtulat atque tumor.
Alga levis ſurgit felici germine, viles
Luxuriant lappæ, lenis ariſta jacet.
Vita laborando conſumitur, atque bonorum
Grex abjectus eget, dum mala turba metit.
Conſcia mens recti ſolatur læta dolores,
Dum famam lacerat Zoilus ipſe bonam.
Tu morbis noſtris, VIR MAGNE, medeberis arte
Phœbæâ, & Muſis Herculis inſtar eris.
TU mala noſtra, juvante DEO, durisſima vertes,
Fata Scholæ noſtræ TU meliora dabis.
Augmenti remoras tolles, cauſasque ruinæ,
Floreat ut felix & renovata Salus.
Phœbus eris TU noſter, Amor, Splendorque, Paterque,
Pieridesque reges, Pieridesque teges.
TU Solamen eris noſtrum, TE Judice tandem
Triſte caput tollet gens pia, prava cadet.
Præſide TE cerebroſa cohors mordaxque quieſcet,
Præſide TE noſter Flos redivivus erit.
TE reparante Scholæ floreſcent omine læto,
Atque TUAS LAUDES poſtera fama canet.

(o)